



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **LAHORENSIS** *PROVINCIA ECCLESIASTICA
LAHORENSIS CONDITUR ATQUE DIOECESIS

EIUSDEM NOMINIS AD ARCHIDIOECESIS STATUM ATTOLLITUR

Inter cotidiana opera expedienda id magni momenti existimamus ipsumque cupimus, ut res catholicae commodius disponantur, quo religio magis proferatur et necessitatibus cunctis efficacius occurratur. Nunc autem Lahorensis regio ob oculos versatur, ad cuius salubriorem prosperitatem ecclesiastica instituta aptare properamus. Quandoquidem igitur Pakistaniana Episcoporum conferentia ex postulavit ut, seiunctis nonnullis territoriis a Provincia Ecclesiastica Karachiensi, nova conderetur Provincia ecclesiastica scilicet Lahorensis, consentiente quoque Venerabili Fratre Laurentio Fratini, Archiepiscopo titulo Botrianensi atque in Pakistania Apostolico Nuntio, de consilio Congregationis pro Gentium Evangelizatione, iudiciis quoque auditis quorum interest, Apostolica Nostra auctoritate, quae sequuntur decernimus et iubemus. Provinciam ecclesiasticam condimus Lahorensem, quam adhuc dioecesis eiusdem nominis constituet, quae, a metropolitico iure Karachiensis Ecclesiae separata, posthac ad Archidioecesim Metropolitanam evehetur, cui nectentur dioeceses Faisalabadensis, Islamabadensis-Rawalpindensis et Multanensis, veluti suffraganeae Sedes, quae antehac pertinuerunt ad Provinciam ecclesiasticam Karachiensem.

Renuntiamus exinde Episcopum Lahorensem Archiepiscopum Metropolitanam, Venerabilem Fratrem Armandum Trindade, cunctis additis iuribus congruentibus ad sacrorum canonum praescripta. Ad haec omnia exsolvenda Venerabilem Fratrem Laurentium Fratini deputamus, quem supra memoravimus, facta facultate quempiam virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re tandem ad exitum perducta, documenta conficiantur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione mittantur. Contrariis rebus minime officientibus quibuslibet.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die tertio et vicesimo mensis Aprilis anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo quarto, Pontificatus Nostri sexto decimo.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. LXXXVI (1994), n. 8, pp. 633-634

© Copyright 1994 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana